

Secunda hæresis est quæ docet corpus nostrum in illa resurrectionis gloria futurum impalpabile & invisibile. Hæresis hæresis auctor fuit quidam Eutyechius Constantinopolitanus Episcopus, dicens corpus post resurrectionis gloriam futurum aere & vento subtilius, ita ut nec palpari, nec videri possit. Hujus autem hæresis causa beatus Gregorius, postea summus Pontifex fuit à Sede Apostolica missus legatus Constantinopolim: quo perveniens coram Tyberio Constantino tunc Imperatore, eundem Eutyechium in fide nostræ resurrectionis errasse convicit. Quo facto, ipse Imperator librum quem Eutyechius de resurrectione ædiderat, comburi jussit. Adversus hunc errorem est illud quod ait Job: (cap. 19.) *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & osculi mei conspecturi sunt & non alius.* Si corpus quod modo palpabile visibile est, postea neque palpabile erit, neque visibile, sed aere & omni vento subtilius: ergo alius erit homo qui postea resurget, & alius qui modo vivit. Et hoc innuere videtur glossa super illum locum Job, quæ sic ait. Expresse indicat veritatem resurrectionis. Non enim alius moritur, & alius resurgit (ut qui dicunt invisibile & impalpabile corpus futurum sicut Eutyechius dixit) sed idem ipse. Hæc glossa, quæ dicitur ordinaria. Unde patet quam misere fuerit deceptus Præter Bernardus de Lutzemburgo, qui in suo Catalogo hæreticorum duos scribit fuisse hæreticos, unum Eutyechium, & alium Eutyechium per e aspiratum. Et ut cognoscat eum sentire non fuisse eundem, adverte quod postquam Eutyechium in prima æditione catalogi texerat, in posteriore æditione addens in fine ejusdem catalogi alios hæreticos qui sibi videbantur deesse in prima æditione, posuit Eutyechium per e aspiratum, tamquam hic alius esset ab illo quem prius scripserat. Et cum duos esse crederet, duas etiam nobis vult ostendere illorum hæreses. Eutyechium quidem dicit sensitisse alium hominem mori, & alium resurgere. De Eutyechio vero refert illum docuisse corpora nostra resurgere impalpabilia & invisibilia. Quod si recte, rem, prout decebat, inexistet, agnovisset eundem esse hominem qui illa docuit, quamquam in diversis cordibus diversis literis scriptum reperiamus, in aliquibus per simplex, in aliis vero per e aspiratum.

Quæ diversitas ex vitio scriptorum oriri potuit, qui sæpe aliter quam oportet, transcribunt, & orthographiam suo arbitrio pervertunt.

Cæterum quod hæresis sit eadem, ex verbis glossæ ordinariæ quæ proxime citavimus, apertissime convincitur. Nam eadem glossa innuit Eutyechium sensitisse alium hominem mori, & alium resurgere, & mori corpus palpabile & visibile, & resurgere impalpabile & invisibile. Quod si glossa non satis aperte illud ostendit, saltem ex beato Gregorio poterat illud cognoscere, qui in libro moralium exponens illa verba Job quæ proxime citavimus, narrata sua cum eodem Eutyechio Episcopo Constantinopolitano, & refert illum sensitisse quod alius sit homo qui moritur, & alius qui resurgit: propterea quod credit corpus hominis mortui esse palpabile & visibile, & corpus illius qui resurgit, esse impalpabile & invisibile, quia dicebat istud esse futurum æreum, & omni vento subtilius. Et ita adversus errorem hujus Eutyechii Constantinopolitani Episcopi beatus Gregorius profert illum locum Job quem proxime citavimus. Hæc dixi ut videant omnes quam facile errent, si qui facile pronuntiant, antequam res

fuerit probe (ut decet) examinata. Sed his omisissis nostrum scopum redeamus. Eundem hominem resurgere qui & moritur, convincunt illa Christi verba (Joann. 11.) quæ dixit Marthæ de Lazaro ejus fratre tunc mortuo: *Resurget frater tuus.* Si enim corpus resurgens esset æreum & impalpabile, tunc Lazarus qui resurrexit, non fuisset frater Marthæ, postquam tunc non habuisset illud corpus per quod erat inter illos junctæ cognatæ. Præterea, Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendens manus & latus, palpanda ossa carnemque præbuit dicens: (Luc. 24.) *Palpate & videte, quia spiritus carnis & ossa non habet sicut me videtis habere.* Qui de hac hæresi amplius nosse cupit, legat B. Gregorium in moralibus super decimumnonum caput Job, circa finem.

Tertia hæresis asserit corpora post resurrectionem futura iterum mortalia, & post illam resurrectionem multis sæculis transactis dicit corpora in nihilum redigenda. Hujus hæresis auctor fuit Origenes. Hoc enim illi impingit Theophilus Alexandrinus Episcopus in lib. secundo sui Paschalis, quod opus beatus Hieronymus è Græco vertit in Latinum sermonem. Et si verum est Originem hoc sensitisse, oportet ut falsum sit quod Epiphanius de illo refert, illum videlicet negasse resurrectionem. Nam qui dicit corpora post resurrectionem futura mortalia, fatetur aperte resurrectionem fatetur. Verum quia post istam resurrectionem Origenes, teste Theophilo, docet corpora in nihilum redigenda, nec amplius resurrectura, fieri potest ut Epiphanius de hac secunda morte intellexit, cum dixit Originem docuisse post mortem non esse resurrectionem. An autem Origenes ita senserit, an secus, ignoro. Hoc certo scio, quod Theophilus ita illum sensitisse narrat. Quapropter cum jam sit de hac re Origenes notatus, oportet ut ad illius errorem revincendum aliqua proferamus scripturæ sacræ testimonia. Paulus Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 6. ait: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Si Christus post resurrectionem amplius non moritur, nec nostra corpora post resurrectionem erunt mortalia: quoniam resurrectio Christi exemplar fuit aut signum quoddam futuræ in nobis resurrectionis. Et in priore epistola ad Corinthios expressius de hac re docet, ubi postquam proposuerat similitudinem de grano seminis mortificati, quod tandem vivificatur, ad corporis nostri resurrectionem reversus, ita dicit: (1. Cor. 15.) *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Et parum infra: *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in istu oculi, in novissima tuba. Carnet enim tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc inducere incorruptionem, & mortale hoc inducere immortalitatem.* Non poterat quicquam apertius dici ad hunc errorem rejiciendum. Sed

audi quid adhuc Apostolus subjungat: Cum autem (inquit) corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. At non perfecte esset devicta mors, si resurgentibus corporibus, iterum mors sæva dominaretur. Neque Christus perfecte devicisset eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum, si mors iterum nostra corpora possessura esset. Præterea beatus Joannes in Apocalypsi de justis post resurrectionem loquens, ait: *Et absorget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque*

Luc.

luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Cum hæc testimonia apertissima sint, non est opus in hac parte longiore disputatione.

Quarta hæresis docet Christum surrexisse à mortuis die sabbati post Parasceven hora sexta. Hunc errorem tribuit Guido Armenis: quem semper in recensendis erroribus Armenorum sequutus sum: quia (ut ingenue fatear) semenem alium scriptorem reperire potui quem in hac re consulerem.

Et quantum ad hunc errorem spectat, certe miror quod homo qui Evangelia legerit, in tam apertum errorem potuerit labi. Nam cum sit manifestum Christum fuisse mortuum feria sexta in Parasceve, si sabbato proximo resurrexit, quomodo verum erit illum resurrexisse die tertia? At ipse Salvator prænuuntians discipulis suis ea quæ futura erant circa ipsamet, ait illis: (Luc. 18.) *Ecce ascendimus Hierosolimam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum: & die tertia resurget.* Præterea ipse idem Salvator noster Judæis petentibus signum de celo ab eo ait: (Matth. 12.) *Generatio mala & adultera signum querit, & signum non dabitur ei nisi Jonæ Prophetæ.* Sicut enim fuit Jonas in ventre certi tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, sic Christus moritur feria sexta & post mortem manet in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, fieri non potest ut proximo die sabbati resurrexerit. Sed de hoc satis.

Quinta de hac re hæresis est, quæ docet omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque esse post resurrectionem futurum femineum sexum. Hunc errorem Guido tribuit Armenis, & vigesimo loco inter errores Armenorum illum recenset. Beatus Augustinus libro 22. De Civitate Dei cap. 17. hujus erroris meminit, dicens: *fuisset aliquos qui ita sentirent: non judicat tamen qui fuerint hujus hæresis patroni. Feminas post resurrectionem esse futuras, vel ex eo constare potest, quod Dominus femina fecit sicut virum. Sic enim scriptura ait: (Gen. 1.) Masculum & femina fecit eos. Ex quibus verbis constat sexum femineum non esse vitium, aut ex vitio, sed ex natura. Quoniam enim ante peccatum femina erat, non ex vitio contigit, ut femina fieret. Nec sexus ipse vitium est: quoniam non fuisset à Deo factus. Cum ergo non sit vitium neque ex vitio femineus sexus, sed ab ipsis natura incunabulis à Deo factus, consequens est, ut qui utrumque sexum fecit, utrumque etiam restituat. Præterea Paulus scribens ad Galatas cap. 3. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Si femina est in Christo Jesu sicut masculus, cur non erit in gloria sicut masculus? Accedit ad hæc, quod interrogatus Dominus à Saducæis negantibus resurrectionem, de muliere quæ septem fratrum nuperat, ut quisque illorum defuncti fratris semen suscitaret, cujus illorum futura esset post resurrectionem, respondit: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt omnes sicut Angeli Dei.* At si nulla esset post resurrectionem futura mulier, facilius illorum errorem destruxisset, dicens non esse futurum muliebre sexum post resurrectionem. Et cum locus esset apertissimus, debuisset illos de hac re docere: ut diceret illam mulierem de qua erat quæstio, vi-*

rum illam esse futuram, non feminam. Verum non illud dixit, sed hoc: *In resurrectione non nubent, neque nubentur.* Nuptias ergo post resurrectionem futuras negavit: non sexus varietatem. Immo an varietatem illic futuram innuit, cum dixit: *Non nubent:* quod convenit feminis: neque nubentur, quod viris. Brunt ergo feminae quæ hic nubere solent: & viri qui hic uxores duxerunt, quoniam cum nuptias negavit, sexus varietatem latenter innuit, qui ad nuptias exigitur. Brunt quidem membra illa, sed non ad antiquum usum deputata, sed ad decorem novum, & ad Dei sapientiam & bonitatem commendandam. Sed qui hunc errorem tuentur, obijciunt nobis illud Pauli ex epistola ad Ephesios cap. 4. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ex quo loco arguunt omnes in virili sexu resurrecturos: quoniam Apostolus ait, omnes nos occurratur in virum perfectum. Huic objectioni beatus Augustinus respondet, illo loco virum capi pro homine, sive masculus ille sit, sive femina. Sic enim alibi scriptura sæpissime capere consuevit. Nam illud est manifestum (ut alia interim omitram) quod in Psalmo 31. dicitur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quo loco constat nomine viri feminam intelligi: quoniam beata etiam femina, cui non imputavit Dominus peccatum. Et beatus Gregorius in Homilia illius evangelii: *Sint lumbi vestri præcincti*, hoc idem admonet, sic inquit: *Quia viris luxuria in lumbis sit, feminis in umbilico, restatur Dominus qui de diabolo cad beatum Job loquitur, dicens cap. 40. Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventri ejus.* A principali igitur sexu lumborum nomine luxuria designatur cum Dominus dicit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Hæc Gregorius. In quibus verbis manifeste satis admonet, nomine sexus masculini tanquam principalioris femineum sexum designari. Potest etiam aliter responderi, & forte propius ad litteræ significationem, ut dicamus illo loco Paulum nec meminisse resurrectionis, sed de perfectione doctrine, & agnitione veritatis. Nam postquam dixerat datos esse à Christo quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, statim subdidit: *donec occurramus in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quæ verba petractans beatus Ambrosius in commentariis super epistolas Pauli, hæc ait: *„ Tandiu dicit manere ordinationem, in quam diu „ cuncti destinati ad vitam, unius sint fidei. In cognitione „ nem Christi ita elaborandum hortatur, ut perfectio fidei „ apprehendatur. Cujus hæc ratio est, ut Christum per „ sectum & plenum Deum teneat fixus, ne mensura hu „ mana metiatur, sed in plenitudine divinitatis quasi „ perfectus Deus habeatur. Nec enim perfectum dicens „ virum, temporali ætate & mensura significat, sed per „ hoc dictum perfectos nos vult fieri in plenitudine intel „ lectus divinitatis filii Dei. „* Hactenus Ambrosius. Et ad eundem modum interpretatur Theophylactus illum Pauli locum. Demum opus est ut Ecclesiæ distinctionem de hac re audiamus. Nam inter Ecclesiastica dogmata unum de hac re septuagesimo loco habetur, quod tale est. In resurrectione ex mortuis, sexus forma non mutabitur, sed vir mortuus resurget in forma viri, & femina in forma feminae. Hæc ibi, & de hoc satis. Adversus hanc hæresim neminem scripsisse scio præter beatum Augustinum, qui libro vigesimo secundo de Civitate Dei, cap. 17. paucula quædam disserit.

S.A.

denuo contra illam pugnare.
 Rursum ex verbis quæ Christus post resurrectionem dixit Apostolis sicut congregatis, convinci potest sacerdotalem potestatem non omnibus esse communem. Hæc enim dixit illis: (*Jean. 20.*) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* In quibus verbis aliqua annotare oportet, quæ sunt digna consideratione. Primum est quod ait: *Accipite Spiritum Sanctum.* Non autem dedit tunc Spiritum Sanctum ad miraculorum operationem: quia illud Sancti Spiritus donum jam illis dederat, quando illos ad prædicandum miserat. Tunc enim, ut Lucas testatur cap. 9. dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut langores curarent.

Nec dedit Spiritum Sanctum ad sanctificationem illorum, & Ecclesie illuminationem: quia hoc modo datus fuit illis in die Pentecostes. Dedit ergo illis Spiritum Sanctum in die resurrectionis: quia tunc dedit illis potestatem remittendi peccata. Nam remissio peccatorum est a tota Trinitate detur hominibus, tamen peculiari quadam ratione tribuitur Spiritui Sancto, sicut illi etiam peculiariter attribuitur bonitas quæ tribus est communis. Potestas autem remittendi peccata judiciaria quadam potestas est, ad ejus executionem necessarium est, duas saltem esse personas, altera quæ sit reus peccatis obnoxius: altera quæ sit judex illum à peccato absolvens. Et inde colligitur non omnes esse Sacerdotes, sed alterum esse Sacerdotem, & alterum esse reum. Forte dicit Lutherus, utramque alteri peccata remittere. Sed si ita res haberet, dicere debuisset Christus, remittite invicem, prout Jacobus orationem commendans cap. 5. dixit: *Ora te pro invicem.* Est adhuc aliud in illis verbis considerandum, quod cum Christus verba illa dixit, nulla aderat mulier, immo nec alii viri quam Apostoli: & inde convincitur ut potestas illa remittendi peccata non omnibus hominibus, sed solum Apostolis, & illis ad quos postea per Apostolos fuit derivata, intelligatur esse concessa: nam quoties per aliqd signum sensibile divinitus conceditur aliquod munus, illis tantum credendum est fuisse concessum, in quos signum illud eeciderit, & non cæteris absentibus. Nam gratia baptismi non conceditur nisi illis tantum, qui loti sunt aqua. Sacramentum Eucharistie est eo tantum pane & vino conficitur, super quæ consecrationis verba fuerunt prolata. Ergo potestas illa remittendi peccata, illis solum dumtaxat credenda est fuisse tradita, super quos eecidit signum sensibile illius traditionis. At signum sensibile illius traditionis, quod fuit status Christi, in solos Apostolos eecidit, cum insufflavit eis, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Soli igitur Apostoli tunc illam potestatem receperunt, & inde alii, quibus ipsi, aut Joannes cap. 20. testatur, Thomas non erat cum aliis Apostolis quando Christus apparuit illis, & dixit illis prædicta verba, quibus concessit illis potestatem remittendi peccata. Hanc difficultatem movit olim Cyrillus, & illi respondit, dicens: Omnes duodecim Apostolos fuisse à Deo electos, ut principes essent super omnem terram, & potestatem haberent tam

quam illius ministri, remittendi & retinendi peccata. Christus igitur, cujus potentia non præscribitur loco, non indignus præsentia Thomæ, ut hanc illi potestatem simul cum aliis concederet. Illud ergo quod omnibus dare decreverat, Thomæ quamvis absenti donavit, quando aliis omnibus donavit. Neque hoc cuiquam debet videri difficile, cum certo constet, aliud simile in tempore veteris legis præcelsisse. Nam præcepit Dominus Moysi congregare septuaginta viros ex senibus Israel, ut illis daret Deus de spiritu ejusdem Moysi, ad sustentandum simul cum eo onus populi, quod Moyse solus ferre non poterat. (*Num. 11.*) *Venit igitur Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta de senibus Israel quos statim fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eos ausens de spiritu qui erat in Moysi, & dans septuaginta viros. Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. Remanserunt autem in castris duo viros, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit spiritus. Nam & isti descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer & nuntiavit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, & electus pluribus, ait Domini mi Moyses prohibe eos. At ille. Quid, inquit, amularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det ei Dominus spiritum suum? Sic hæc omnia olim contigisse sacra narrat historia, non est ulla justa causa, ut quis dubitet Christum Salvatorem nostrum dedisse Thomæ absentem, sed ab eo electo spiritum suum, quemadmodum olim Eldad & Medad absentibus, quia ad hoc electi erant, dederat spiritum suum. Nam quos Deus ad ministeris alicujus functionem elegerit, etiam si absentes corpore sint à comitatu & congregatione illorum, quibus munus suum donat, nihilominus tamen recipiunt perinde ac alii: quia etiam aliis sociis absentes sint, Deo tamen qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, & cui nulla est invisibilis creatura, absentes esse non possunt. Accedit hæc omnia, quod juxta Lutheri doctrinam, oportet fieri Ecclesiam esse misericordiam quamdam republicam, in qua pessima omnium esset politia qualis nulla unquam fuit, etiam apud rudes & barbaras nationes. Nam si Ecclesia illa esset ordinata atque disposita, ut Lutherus contendit, nulla esset Hierarchia in ea, nullusque ordo: sed omnia essent confusa, essetque Ecclesia velut altera Babylon: quoniam nullus in ea, in iis quæ pertinent ad spiritum, & quæ proprie sunt ipsius Ecclesie, alteri subderetur: sed omnes essent sibi æquales. Nam Lutherus negat Romanum Episcopum esse summum Ecclesie Pontificem: & dicit omnes Episcopos esse pares, negatque aliquem esse quovis alio superiorem. Dicit insuper Episcopos non esse superiores aliis Presbyteris, sed omnes Sacerdotes esse pares Episcopis. Nunc tandem ait omnes Christianos esse Sacerdotes. Ex quibus omnibus evidenter colligitur omnes Christianos esse Episcopos, & nullum Christianum in iis quæ sunt spiritalia, & quæ ad Ecclesiam pertinent, esse alio superiorem. Erit igitur hoc modo Ecclesia, tamquam grex sine pastore, aut regnum sine rege, aut iquius populus sine gubernatore. Fieri itaque necessario in Ecclesia, quod Salomon ait: (*Prov. 11.*) *Ubi non est gubernator, populus corrumpet.* In celesti illa Ecclesia beatorum Angelorum, non omnes sunt æquales: sed multi in ea sunt ordines dignitate & potentia differentes, quorum primus & infimus est Angelorum, & secundus illo superior dicitur Archangelorum, & sic deinceps usque ad*

ultimum & supremum ordinem, qui dicitur Seraphin. De quibus omnibus disserit Dionysius Areopagita in libro de celesti Hierarchia. Ad exemplum illius celestis Ecclesie, ut idem Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia docet, formata est hæc Ecclesia militans, ita ut etiam diversifint in hæc ordines, perinde ac in illa. Et ideo in illo eodem libro diversos Ecclesie status explicans, dicit supremum in Ecclesia principatum habere Pontificem: sub illo constituit Sacerdotes: istis subjicit alios ministros, quos Diaconos nuncupat: postremum denique locum dicit tenere plebem illis ministris subiectam. Propter hanc enim similitudinem istius Ecclesie inferioris ad illam superiorem, dicit Bernardus libro tertio de consideratione ad Eugenium prope finem, Joannem in Apocalypsi dixisse, se vidisse sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de celo. (*Apoc. 21.*) Verba Bernardi sunt hæc. Nec vilem reputes formam hanc, quia quæ in terra est, exemplar habet à celo. Neque enim filius potest facere quicquam, nisi quæ viderit patrem facientem, præsertim cum ei sub Moysi nomine dictum sit: *Vide omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Videt hoc qui dicebat: (*Exod. 25.*) *Vidit civitatem sanctam Hierusalem, novam, descendentem de celo, à Deo paratam.* Ego enim propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Seraphin & Cherubin, ac cæteri quique usque ad Angelos & Archangelos ordinantur sub uno capite Deo: ita hic quoque sub uno summo Pontifice, Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Hæc Bernardus, qui satis aperte declarat ex Dei institutione, non omnes Christianos esse Sacerdotes, neque omnes Episcopos, sed distinctionem & ordinem esse inter illos: quemadmodum est inter superiores spiritus distinctio & ordo, ita ut non omnes sint Cherubini, neque omnes Seraphini, aut Throni, aut Dominationes.

Possem ego hic pro hujus rei confirmatione plura sacrorum Doctorum citare testimonia, sed prudens omittit, eo quod sacre scripture testimonia, quæ protulimus, sunt satis aperta. Unum tamen solum citabo Tertullianum, & alterum Cyprianum, ut ex eis pateat, quam vetusta sit hæc Lutheri hæresis. Nam in libro de præscriptionibus hæreticorum, illorum mores describens, illosque reprehendens, sic ait: Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes. Nunc neophytos collocant, nunc sacculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obliant, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius hodie Diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam & laici sacerdotalia munera injungant, Hæc Tertullianus. Ex cuius verbis hoc ultimum est advertendum, quod reprehendens ait, hæreticos injungere sacerdotalia munera laicis. Si ergo hic est hæreticorum, mos, hoc debuit Lutherus etiam facere, ut à moribus hæreticorum parentum suorum non esset alienus. Idem fere ait, Cyprianus in epistola 9. libri tertii epistolarum, quæ est ad Rogatianum Episcopum, cui scripsit de quodam Diacono, qui eidem Rogatiano suo Episcopo rebellis fuerat. In qua postquam veteris & novi testamenti, quam plurimis testimoniis ostendit, quanto honore digni sunt Sacerdotes, hæc ait. Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem, post ascensum Domini in celos, Apostoli sibi constituerunt Episcopos sui,

Ecclesie ministros. Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui Episcopus facit: potest & hic contra nos audere, à quibus Diaconi sunt. Et ideo oportet Diaconum, de quo scribis, agere audacia suæ penitentiam, ut honorem Sacerdotis agnoscat, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfaciat. Hæc sunt enim initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnunt: Sic de Ecclesia receditur, sic altare prophatum foris collocatur: sic contra pacem Christi & ordinationem, atque unitatem Dei rebellatur. Hæc Cyprianus. In quibus verbis, præter id quod Sacerdotes dixit esse ex Dei institutione Diaconis superiores, hoc potissimum annotare oportet, quod ait, tales rebelliones esse hæreticorum initia: quam sententiam veram esse, ipsius hæreseos Lutheraneæ initium, progressus & exitus docuit. Adversus hanc hæresim pugnant ea, quæ supra in titulo de ordinis sacramento, & in titulo de mulieribus digestimus. Sunt etiam adversus eam plurimorum Conciliorum decreta. Concilium Carthaginense quartum præscribit modum quo aliquis sit in Presbyterium ordinandus. At si omnes Christiani (ut Lutherus ait) sunt Sacerdotes, superflua esset talis ordinatio. Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, de sacramento Eucharistie loquens, ita definit: hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesie, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Jesus Christus. Hæc Concilium Lateranense. Hoc autem decretum habetur in libro epistolarum decretalium, in titulo de summa Trinitate & fide Catholica, cap. 1. Concilium Remense, cap. 2. suorum decretorum per hæc verba definit: Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant divinam mysteria, ut laico, aut feminae sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur ne sacrum ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committunt. Quod quam sit horribile, & detestabile, omnium religiosorum animadvertit præcellentia. Igitur interdictum per omnia synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimodo presbyteri per semetipsum infirmum communicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit. Hæc Concilium Rhemense. Et habentur hæc verba in volumine decretorum de consecratione, distinctione secunda, in capitulo perenni. Quod ideo præmonuit, quia illius Concilii decreta non habentur in eo volumine, in quo sunt aliorum Conciliorum decreta congesta per Isidorum. Ex hujus autem Concilii verbis patet, non solum esse interdicta sœminis & laicis corporis Domini consecrationem, sed ejusdem corporis contactum: & hoc dicit esse horribile & detestabile, ut sœminæ & laici sacrum Domini corpus contrectent. Quid igitur dictorum esset Concilium, si audiret laicos tentantes idem Domini corpus consecrando conficere? Non est dubium quin atrocioram punitionem in eos exerceisset. Sed jam opus est, ut videamus quo argumento suum confirmet propositum Lutherus. Sic enim ait: omnes sumus Sacerdotes secundum illud Petri: (*1. 2.*) *Nos estis genus electum, regale sacerdotium.* Sed alius alio non potest magis esse Sacerdos, quemadmodum alius alio non potest esse magis homo: igitur Sacerdotes qui vocantur, nihil aliud sunt quam laici quidam solo, vel consensu populi, vel Episcopi vocatione, non absque populo docti ad concionandum: & ordo nihil aliud est, quam merum sine sacramento ministerium.

SACERDOTIUM.

UNUS ex perniciosis & execrandis erroribus Lutheri est quo docet omnes Christianos esse Sacerdotes, omnes Christianos æqualem potestatem, nulla status aut sexus discretione facta. Verum est omnes Christianos dicat esse Sacerdotes, docet tamen nemini licere illa potestate uti nisi per consensum communitatis: quia (ut ille ait) quod est omnium communiter, nullus singulariter potest usurpare, nisi vocetur. Potestas ergo hæc, juxta Lutheri sententiam, primo ad communitatem ipsam derivata fuit, deinde ab ipsa communitate in eum qui Sacerdotio fungeretur. Verba Lutheri in libro de captivitate Babylonica sunt ista. Etsi itaque certo certius, & sese agnoscat quicumque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse Sacerdotes, hoc est, eandem in verbo sacramento quocumque potestatem habere. Hæc Lutherus. Et postea dicit, nihil esse Sacerdotium nisi potestatem concionandi, & sacerdotis officio consistere in sola doctrina. Sed hic Lutherum percontari oportet, an Sacerdotium Evangelicum credat esse abjectius & vilius, quam Sacerdotium veteris legis? Non puto illum adeo insanire, ut inficietur Sacerdotium Evangelicum esse multo præstantius Sacerdotio Levitico. At Sacerdotium veteris legis non fuit adeo abjectum & vile, ut omnibus sine ulla differentia creditum fuerit. In Exodo enim legitur cap. 28. Dominum Deum Moyse hæc verba dixisse: *Applique quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungantur tibi, Aaron, Nadab, & Abihu, Eleazar & Ihamar filii Aaron: faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Ecce vides Aaron & filios ejus segregatos ex præcepto Domini à tota plebe ut Sacerdotio fungerentur coram eo. Et huic legi consonat id quod Paulus mirificus legis interpretes, in epistola ad Hebræos cap. 7. de Christo Salvatore nostro differens ait: *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario præfuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyse locutus est.* Ecce Paulum testantem, neminem de tribu Juda, juxta legis Mosaicæ præceptum, posse esse Sacerdotem. Et idem testimonium dedit Prophetæ Samuel (1. Reg. 17.) contra Regem Saul, qui de tribu Benjamin erat. Nam illum graviter reprehendit, propterea quod holocaustum & pacifica Deo obtulisset, Sacerdotis officio functus: pœnamque illi ob hoc peccatum à Deo decretam manifestavit, sic dicens: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæ sicut Dominus sibi virum juxta corpus suum, & præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus. Et nunc certe videmus Ducem Saxonie Joannem Fredericum simili pœna propter simile peccatum à Deo punitum.* Nam hic mirum in modum favit Luthero Sacerdotii Evangelici prophanatori: & ob hoc peccatum fuit à Carolo Cæsare hujus nominis quinto, Hispaniarumque Rege ejusdem nominis primo debellatus, & bello caprus, maximeque suæ ditionis parte spoliatus, necnon privatus in æternam dignitate Electoris Imperii. Quæ omnia, Deo ita volente, successerunt contra communem populi opinionem, propterea quod cum major pars Germaniæ esset Lutherana hæresi infecta, fere tota Germania simul cum

istio Duce contra Cæsarem ob solam hæresis causam rebel-
laverat, & magno exercitu congregato eundem Cæsarem à tota Germania profigare voluerat. Deus tamen in cuius manus sunt omnes bellorum victoriæ, dedit victoriam Carolo Cæsari, & omnes potestates, qui Duci Saxonie adhaerant, tamquam oves sine pastore disperfit, & illum in manus Cæsaris tradidit, qui illum tandem patrimonio & dignitate privavit, quem si etiam vita privasset, nihil ab eodem Cæsare homines vere Christiani merito desiderare potuissent. Sed hæc, quia solum per occasionem dicta, missa faciamus: & ad scopum nostræ disputationis revertamur. In libro Numerorum cap. 4. legitur tribum Leviticam esse à Domino peculiariter electam ad ministerium tabernaculi, & filios Caath destinatos ad portanda vasa sanctuarii involuta ab Aaron & filiis ejus, ut non tangerent ea, ne forte morerentur. Quid hic dicit Lutherus? Si tantam reverentiam Deus præcepit exhiberi vas sanctuarii, ut non ab alio quam à Sacerdote tangi possent, quanto majorem reverentiam credendum est, nos oportere exhibere sanctissimæ Eucharistiæ, ut vasa quibus illa reconditur, ne dicam ipsammet, non permittamus ab alio quam à Sacerdote contrahi? Si enim tantus honor præstatur umbræ, nonne juxta ut majorem multo honorem tribuamus corpori? Datan, Chore, & Abiron absorpti sunt à terra, & vivi descenderunt usque ad inferos, (Num. 16.) eo quod Sacerdotale officium usurpare tentarunt, & ducenti quinquaginta viri illis consentientes ab igne consumpti sunt. Et Oza quoniam extendit manum ad Arcam Dei, & tenuit eam contra suæ fortis conditionem, subito percussus est à Domino super temeritate sua, & mortuus est statim ibi juxta Arcam Dei. (2. Reg. 6.) Et Ozias Rex Juda fuit à Domino lepra percussus in fronte, eo quod Sacerdotalis Ordinis munus usurpare præsumperat, offerendo incensum super altare thymiamatis: (2. Par. 26.) Balthasar Rex temulentus bibens ex vasis aureis & argenteis quæ Nabuchodonosor pater ejus abstulerat de templo Dei quod erat Hierosolymis, vidit manum scribentem in pariete (Dan. 3.) Mane, Thechel, Phares, & eadem nocte illo interfecto Darius Medus successit in regnum. Si Dominus tantum zelatus est pro figura, quanto magis zelabitur pro veritate? Umbram non permisit tangi nisi à solo Sacerdote, & corpus permittit contrahi à quolibet? Caveant ergo laici Lutherani, & ad Dominum convertantur, ne forte sicut Dathan, Chore & Abiron vivos illos Dominus in infernum conjiciat. Præterea si institutio Ordinis Sacerdotalis, & ejusdem institutionis tempus bene circumspectantur, facile hujus rei veritas patebit. Nam Sacerdotes fuerunt à Domino initiati in cœna ultima, quando Salvator noster cum discipulis suis cœnans, dixit illis: (Luc. 22.) *Hoc facite in meam commemorationem.* Fuerunt autem consummati in Sacerdotio, cum post resurrectionem dixit eisdem: (Joann. 20.) *Quorum remisistis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta sunt.* At multo ante hæc tempora ipsi discipuli Christiani erant, quia jam fuerant Christum per baptismum induci, cum tamen tunc non erant Sacerdotes. Non Ergo (ut Lutherus ait) in baptismo efficitur quisque Sacerdos: nec oportet ut eo ipso quo aliquis est Christianus, sit etiam Sacerdos, qui potestatem habeat supra corpus Christi verum & mysticum, hoc est, potestatem consecranda & absolventi. Rursus beatus Paulus Timotheo scribens, (1. Tim. 4.) ait: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Vel (ut

Era-

Erasmus apertius transulit) auctoritate Sacerdotii. Et iterum ad eundem Timotheum: *Ut resuscites* (inquit) *gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex quibus Pauli locis, duo adversus Lutherum colligimus. Unum, quod Timotheus fuerit Sacerdos ordinatus à Paulo. Alterum, quod talis ordinatio fuerit facta per auctoritatem Sacerdotum, & non (ut Lutherus ait) per consensum plebis. Et ad Titum scribens cap. 1. ait: *Hujus gratia reliqui te Crætæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Si omnes Christiani sunt Sacerdotes: non erat necessarium relinquere Titum Crætæ ad constituendos Presbyteros per civitates. Adverte etiam qualiter Titus fuerit ordinatus à Paulo, & officium sacerdotale exercuerit Crætæ ex solo jussu Pauli, & non ex consensu aut concessione populi. *Sicut & ego* (inquit Paulus) *disposui tibi.* Deinde in epistola ad Hebræos idem Apostolus cap. 5. ait: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* At Aaron non à plebe fuit vocatus aut institutus Sacerdos, sed à Deo, neque à plebe fuit Sacerdotium derivatum. Multo ergo minus erit Sacerdotium Evangelicum à plebe derivatum: cum hoc sit multo augustius illo. Et in prioribus epistola cap. 12. ad Corinth. idem Apostolus enumerans officia à Christo in Ecclesia divisa, ait: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* Quod si unusquislibet omnia potest (ut ait Lutherus) frustra tot distribuit officia. Ideo merito ibidem subjungit Paulus, *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratias habent curationum? Numquid omnes linguas loquuntur? Numquid omnes interpretantur?* Ecce, juxta Pruli sententiam, non omnes Doctores, non omnes Prophetæ, non omnes interpretantur: unde colligitur ut etiam non omnes sint Sacerdotes: præsertim quum, juxta Lutherum, Sacerdotium nihil aliud sit quam potestas concionandi.

Deinde ipsa ratio excellentissimi sacrificii quod est in Ecclesia Catholica, cogit ut ad illius oblationem faciendam aliquis sit destinatus Sacerdos qui sit à reliquo populo distinctus. Nam & gentiles hoc intellexerunt, qui ad oblationem eorum sacrificiorum quæ diis suis sacrificabant & offerabant, peculiare semper habuerunt Sacerdotes à reliquo populo distinctos. Neque hoc sacerdotii munus omnibus passim commissum esse voluerunt. Cum ergo Ecclesia excellentissimum omnium habeat sacrificium, convincitur inde, ut optimum etiam habeat Sacerdotium à populo distinctum. Lutherus tamen negat Missam esse sacrificium, sed de hoc supra in titulo de Missa, disputabimus. Admoneo tamen lectorem, ne ex hoc argumento quod nunc à Sacerdotio gentium formavi, existimet me gentium sacerdotia probare: & ideo illa in exemplum proposuisse. Absit à me talis cogitatio. Non enim sum tam delirus, aut tam rudis, ut non optime intelligam omnia illorum sacrificia fuisse sacrilega, & omnem illorum Sacerdotum ritum fuisse sacrilegum, & superstitiosum. Sed hoc malum inde proveniebat, quod verum Deum ignorabant & sacrificia illa sua offerant non vero Deo, sed demonibus quos putabant esse Deos. Laudo igitur gentiles, in hoc tamen non laudo quod diis sacrificabant, sed in hoc quod sic sacrificantes non permisit & sine ullo personarum discrimine per quemlibet ex populo hoc fieri

Tom. I.

permitterent. Nam lumine quodam naturalis rationis illustrati omnes intellexerunt, summos honores esse Deo impendendos, & sacrificia Deo offerenda, quæ non per quemlibet hominem offerenda esse consueverunt: sed per peculiare aliquos probare virtutis viros ad hoc munus obendum potissimum addictos. Hoc autem ita esse, tum ex libris gentium, tum etiam ex sacra scriptura constat, quæ dicens totam terram Ægypti propter nimiam frumentii penuriam, factam esse Regi Pharaoni tributariam, eo quod fame cogente omnes vendebant possessiones suas Regi, terram sacerdotalem excepit, dicens (Genes. 47.) *Præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis.* Et postea enarrans sacra scriptura, quod Regibus quinta pars frugum dabatur in tributum, etiam terram Sacerdotum excepit, dicens: *Abstque terra sacerdotali quæ libera ab hac conditione fuit.*

Ad hunc ergo solum finem hoc gentium exemplum adducimus, ut ex hoc quod omnes homines ubique gentium, & omni tempore, & omni regione semper fecerunt, convincamus hoc esse naturali rationis lumine cognitum, non quoslibet sine discrimine debere esse Sacerdotes Dei: sed aliquos à reliquo populo divisos, qui hoc munus obirent. Et hinc merito reprehendimus eos, qui Sacerdotium Evangelicum prophanantes, contendunt, illud omnibus sine ullo discrimine esse commune. Ad eundem enim modum olim Deus, ut Judæos de inconstantia reprehenderet, gentiles in exemplum adduxit, sic per Hieremiam cap. 2. dicens: *Transite ad Insulas Cethin & videte: & in Cedar mittite & considerate vehementer, & considerate factum est hujusmodi: si mutavit gens Deos suos, & serie ipsi non sunt Dii. Populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum.*

His verbis, ut manifestum est, Deus non probavit idola gentium, nec venerationem idolorum, quæ aperte declaravit non esse Deos: sed gentium constantiam, quæ perpetuo colerunt eos quos semel crederunt esse Deos, obicit Judæis, ut ex illa posset merito Judæorum levem mutabilitatem reprehendere, qui verum Deum multis nominibus agnoscens, desererunt ab eo, & ad Deos alienos, qui Dii non erant, transferant. Hoc exemplum Dei ego imitatus, ex religione gentium, quæ ubique & omni tempore fuit apud eos, ut Sacerdotium non omnibus sine ullo discrimine faceret commune, merito convinci posse existimavit Lutheranos, qui Sacerdotium Evangelicum, quod est omnibus aliis multo excellentius, asserunt esse commune omnibus: cuiuscumque conditionis & ætatis hominibus: neque solum viris, sed etiam mulieribus: quod est hæcenus inauditum. Præterea, si omnes Christiani sunt Sacerdotes, consequens est ut nullum sit legis Evangelicæ peculiare sacerdotium: quia quocumque illud esse dicatur, omne illud reperietur fuisse in lege Mosaicæ. Hoc Lutherus concedens, cogitur etiam fateri nullam esse peculiarem legem pro tempore gratiæ: quia Sacerdotium, & lex tunc sibi invicem adeo connexa, ut altero sublato necesse sit tollere reliquum: & altero posito necesse sit alterum sequi. Nam hac ratione motus Paulus, dixit: (Heb. 7.) *Translatio Sacerdotii, necesse est ut legis translatio fiat.* Ergo si nullum est tempore gratiæ peculiare Sacerdotium, nulla etiam erit lex pro hoc tempore peculiaris. Lutherus tamen adeo desipuit, ut hoc fateri non erubescat dicens, nullam esse peculiarem legem in Evangelio: sed contra hunc errorem jam superius disputavimus in titulo de præcepto, hæresi prima: & ideo non est opus nunc

Vvvv

da-

Hæc Lutherus. O fortis argumentator! O alterum Aristotelem! Si nihil est sacerdotis officium, quia omnes vocantur Sacerdotes: oportebit te eadem ratione fateri, ut Christus nihil sit supra quemquam eorum, de quibus dictum est: (Psal. 104.) *Nolite tangere Christus moos.* Præterea, si iuxta Petrum omnes sunt Sacerdotes, nonne iuxta eundem omnes etiam sunt reges? Vos estis (inquit) *genus electum, regale sacerdotium.* Non quaecumque sacerdotium, sed regale: ut ostenderet eos esse reges, perinde ac Sacerdotes. Et viginti quatuor seniores qui figuram tenent justorum, in Apocalypsi Joannis (cap. 5.) clamabant, dicentes. *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Si ergo nihil magis est sacerdos rite ordinatus, quam quilibet Christianus, quia omnes dicuntur Sacerdotes: oportet etiam, ut nihil magis habeat Rex, quam quilibet alius Christianus, quia omnes etiam dicuntur reges. Quo fiet, ut nemo sit Rex Luthero, sicut nemo est illi Sacerdos. Rursum, si propter illa Petri verba oportet fateri omnes Christianos esse veros Sacerdotes, oportebit etiam dicere omnes Judæos fuisse Sacerdotes, cum in Exodo (cap. 19.) dictum sit a Domino: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculiis & cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Cum ergo apertiissime constet non omnes Judæos fuisse Sacerdotes, quamvis fuerint a Deo vocati regnam sacerdotale, convincitur, ut etiam non oporteat Christianos omnes esse Sacerdotes, quamvis eos Petrus vocaverit regale sacerdotium. Verum superest, ut nos verum illius litteræ sensum ostendamus. Juxta Bedæ sententiam ideo vocati sunt a Petro omnes Christiani Sacerdotes, quia uniti sunt Christo, qui est Rex & Sacerdos. Dydimus Alexandrinus in expositione, quæ ejus nomine super septem epistolas Cononicas circumfertur, dicit Christianos dici genus electum, regale sacerdotium, quia eorum pater, videlicet Christus, est Rex & Sacerdos. Nam postquam ostendit Christum esse Regem & Sacerdotem, hæc verba subiungit: His itaque dispensatis necessarium erat dispersos ab eo, qui simul Rex & Sacerdos est, electum esse genus, & regale simul atque sacerdotale. Patre siquidem eorum utramque habente principatum, necesse est eos tamquam ex Rege regale, & tamquam ex Sacerdote sacerdotale esse genus. Quapropter gens sancta dicuntur vocari ab eo, qui sanctus est, ut sancti sint. Hæc Dydimus.

Posset huic litteræ alia dari interpretationes, sed eas omitto, quoniam expositio Didymi, mea sententia, reliquis omnes excellit, eo quod est litteræ germanior. Obijcit etiam nobis Lutherus, in libro suo de missa abroganda, hæc dicens: Ad Sacerdotes Ecclesiasticos, & novæ legis potissimum spectat ministerium docendi verbum Dei, teste Malachia Propheta (cap. 2.) cum ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Atqui officium docendi verbum Dei ad omnes promiscue spectat, etiam laicos & mulieres. Siquidem Apostolus de omnibus loquens Christianis, scribit ad Corinthios. (1. 3.) *Fideliam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sustinentes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed scientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu.* Et beatus Petrus ad omnes in Christum credentes, quibus suam dirigit primam epistolam, (cap. 2.) verba faciens, ait: *Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in mirabile lumen*

suum. Rursum, Paulus ad fideles Corinthios verba dirigit, inquit: *Potestis enim omnes, per singulos prophetare, ut omnes discant & omnes exhortentur.* Hæc Lutherus. Sed in hac sua argumentatione operam & oleum perdidit, propterea quod utraque pars sui assumpti est falsa. Primo quidem falsum est quod ait, potissimum sacerdotis officium esse prædicare verbum Dei. Hoc enim non ad omnes Sacerdotes spectat, sed ad illos solos qui curam animarum habent, tamquam pastores illarum, & ideo tenentur prædicare illas doctrinam verbi Dei, & de his solis est locutus Malachias. Et de his solis dixit Paulus: (1. Tim. 5.) *Qui bene præfunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant verbo & doctrina.* Aliqui sunt ergo Presbyteri, qui non laborant doctrina. Alioquin non fuisset opus, illos qui verbo & doctrina laborant, magis commendare. Illi autem ad quos spectat laborare verbo & doctrina, facti innuit esse illos qui præfunt. Ad alios vero qui pastores animarum non sunt, quales sunt multi Sacerdotes, non spectat prædicare verbum Dei. Et inde convincitur, non esse potissimum Sacerdotis officium, prædicare verbum Dei, nec in eo opere consistere ministerium sacerdotale. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus (ait Paulus (Heb. 5.) *pro hominibus constituitur in iis qua sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Ex quibus verbis constat, officium sacerdotale esse offerre, & non docere. Nam hac sola ratione Paulus in illo loco probat Christum esse Sacerdotem, quia obtulit, non quia docuit. Deinde, non omnes Doctores legis veteris erant Sacerdotes, neque e contrario: ergo nec in lege Evangelica.

Apostoli siquidem a Christo ordinati fuerunt Sacerdotes primo in cena, quando dedit illis potestatem sciendi ex pane & vino corpus & sanguinem suum, & postremo consummavit in resurrectione, quando dedit illis potestatem remittendi peccata. Ante tamen hoc tempus missi fuerunt ad prædicandum, ut constat ex Matthæo (cap. 10.) & Luca (cap. 10.) Philippus etiam prædicabat Samaritæ, ut in Actis Apostolorum (cap. 8.) refert Lucas, & hic neque Episcopos, neque Sacerdos erat, ut ex eadem historia constat: quoniam alias non fuisset opus mittere ad Samaritanos Petrum & Joannem, si Philippus potuisset omnia Sacerdotis officia exercere. Falsa est etiam alia pars, quam assumptis Lutherus in sua argumentatione dicens, officium docendi verbum Dei, ad omnes promiscue spectare: etiam facti eos & mulieres. Nam superius in titulo de prædicatione aperte probavimus hereticam esse hanc sententiam; neminique licere absque missione prædicare verbum Dei, prout Paulus docet, sic inquit: (Rom. 10.) *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quod autem mulieribus docendi potestatem tribuat, manifesta est adalatio, qua illis placere voluit, ut vel hæc ratione illas quas ardentem amabat, in sui amorem alliceret. Nam Paulus hoc mulieribus prohibet, sic dicens: *Mulier in silentio discat, cum omni subiectione.* Docere autem mulierem non permittit. Lutherus tamen hanc Pauli sententiam sciens sibi adversari, illam à mente Pauli in alium sensum detorquet, sic in prædicto libello dicens: quamvis secundam sententiam Pauli (1. Tim. 5.) ubi viri sunt loquendi officio fungentes, non debent mulieres loqui: atque tamen nullis loquentibus viris, necesse est ut mulieres loquantur. Hæc Lutherus. Hanc esse falsam interpretationem, & à mente Pauli longissime distantem, facile constare potest, si consideremus causam propter quam Paulus

lus mulierem docere non permittit. Non est enim causa virorum absentia, sed timor seductionis, quia videlicet mulier facile seduci potest: & hoc facilius contingere potest viro absente, quam si vir esset præfens, à quo admoneri posset. Hoc enim contigit Evæ, quæ viro præfente non fuit seducta, sed viro absente. Ideo Paulus postquam dixit se non admittere, ut mulier doceat, statim subdidit: *Adam enim primus formatus est, deinde Eva. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in pravaricatione fuit.* Quæ verba Theophylactus interpretans, ait: „ Quia semel mulier virum edocuit, & cuncta pervertit, idcirco nequaquam hæc habeat velim docendi de cetero potestatem. Est namque mulier natura levior, & facile fallitur. Adverte autem quemadmodum non Evam dixerit deceptam esse, sed mulierem, tamquam de ipso muliebri genere differuisset. Nam quemadmodum natura omnis humana in Adam perita est, sic & per Evam in omne scemineum genus delapsa est levitas, qua & pravaricatio ipsa primum Evam invasit.“ Hæc Theophylactus. Levior igitur & levisimus merito censendus est Lutherus, qui mulieribus natura levisimis, & ad deceptionem paratissimis, docendi potestatem tribuit. Sed videamus quam falsis argumentis probare conetur Lutherus, omnibus Christianis esse commissam potestatem prædicandi verbum Dei. Illud enim quod citat ex posteriore ad Corinthios epistola: (2. 3.) *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti,* non de omnibus Christianis est intelligendam, sed de ipso solo Paulo, & aliis Apostolis prædicationis Evangelicæ consortibus. Nam hi soli facti fuerunt a Christo ministri novi testamenti, alii vero postea fuerunt ejusdem prædicationis ministri, non ab ipso Christo immediate, sed ab hominibus illud ministerium susceperunt. Et huic interpretationi favet Ambrosius, qui in commentariis super Paulum, prædicta Pauli verba interpretans, ait: „ Quamvis præferat Apostolicam dignitatem, rem, in Die tamen laudem prorumpit, non istud merito humanis scribentibus, sed ejus gratiæ, qui dignatus est pro vita humana saluatorem prædicationem ordinare, quæ quos lex vetus reos tenebat, salvaret data remissione peccatorum per Jesum Christum Dominum nostrum.“ Hæc Ambrosius. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod ait Paulum per illa verba præferre Apostolicam dignitatem, & non omnes Christianos. Ambrosio consentit Anselmus, qui eadem Pauli verba interpretans, ait: „ Incipit se nunc alio modo quam superius commendare, ut & pseudoapostolos deformet, innuens esse ministros veteris testamenti, dum ostendit, se ministrum esse novi.“ Hæc Anselmus. Et certe quamvis isti duo illustres viri hoc nobis non declarassent, ipse tamen Paulus satis fuisse clarus ex iis quæ à principio capituli dixerat, quæ non ad omnium Christianorum, sed ad solam sui commendationem constat fuisse dicta. Incipimus, inquit Paulus, nosmetipsos commendare? Aut nunquid egenus sicut quidam, commendatitius epistolis ad nos, aut ex nobis? Et post pauca subdidit illa, de quibus non disputamus. *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Alterum quod ex beato Petro citat testimonium etiam detorquet à vera mente ejusdem Auctoris. Non enim Petrus eo loco agebat de prædicatione verbi Dei, sed de laude & gratiarum actione quam tenentur omnes Christiani reddere Deo propter immensa beneficia ab eo recepta. Nam Propheta & Apostoli sæpe utuntur hoc verbo annuntiare pro laudare aut gratias agere. Ut autem aperte ostendamus hæc esse beati Petri mentem, ip-

sius verba paulo altius repetere potest. Vos autem, inquit ille, (1. Petr. 2.) *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* In quibus verbis alludit ad ea quæ filiis Israel Deus donavit, & ostendit illa omnia figuram esse eorum beneficiorum quæ toti populo Christiano per filium dedit. Populus Israel fuit à Deo peculiariter electus: ut ipsemet Deus per Oseam cap. 11. ait: *Puer meus, & dilexi eum.* Sic populus Christianus est modo à Deo electus, & ob hanc causam vocat eum Petrus populum acquisitionis. Populum Israel vocavit Deus ex Ægypto: & de populo Christiano dicit Petrus, quod de tenebris ignorantia aut peccati vocavit illum Deus in admirabile lumen legis Evangelicæ, cui consonat illud Esaiæ cap. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Sicut igitur populus Israel postquam eductus fuit ab Ægypto, gratias egit Deo, & laudes cantavit ob beneficia ab eo recepta: ita nunc admonet Petrus populum Christianum, ut gratias agat Deo ob beneficia sibi data, quia factus est populus acquisitionis, vel, ut Erasmus transtulit, populus qui in lucrum accessit: & quia vocatus est de tenebris in admirabile lumen suum. Et hoc est quod multo ante prædixerat Deus per Esaiam Prophetam cap. 43. *Populum istum, inquit, formavi mihi, laudem meam narrabit.* Deinde, etsi illa Petri verba intelligenda essent, non solum de laude & gratiarum actione, sed etiam de prædicatione verbi Dei: non tamen deberent illa intelligi de publica & solemnibus prædicationibus, sed de privata. Et de hac fatemur, omni Christiano illam licere: quia quilibet potest sic particulariter proximum suum ad fidem exhortari, iuxta illud quod Sapiens ait: (Ecc. 17.) *Cuiuslibet mandavit Deus de proximo suo:* sed ex hac prædicationis potestate, inepte colligit Lutherus omnes esse Sacerdotes: quia ut jam diximus, non consistit in præcipuum Sacerdotis officium. Priori interpretationi favet Beda, & mihi etiam magis placet, quia est magis litteræ germana. Simile contingit in alio testimonio quod citat Lutherus ex priore ad Corinthios epistola, ubi Paulus dicit. *Potestis omnes per singulos prophetare, ut omnes discant.* Nam hoc verbum, prophetare, non significat Paulo idem quod prædicare, sed interpretari: quia ut Ambrosius annotat, propheta idem est in lege Evangelica, ac interpres qui obscura declarat. Nam sicut olim Propheta dicebatur, qui videbat illa quæ ab aliis videri non poterant: ita nunc Propheta dicitur, qui intelligit, & scit declarare ea quæ aliis sunt obscura: & tunc prophetare dicitur, quando interpretatur obscura. Hoc autem modo interpretari, non omnibus Christianis concessum est, ut ex ipsa Pauli littera constat, sed illis solis qui donum hujusmodi prophetiæ, aut interpretationis sermonum à Deo acceperunt. Constat etiam non omnes Christianos posse prophetare, ex eo quod in epistola ad Ephesios cap. 2. Paulus ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in adificationem corporis Christi.* Ex quibus verbis constat non omnes Christianos esse Prophetas, neque omnes Doctores: sed quosdam esse Doctores & quosdam Prophetas. Et ideo quamvis gratis daremus Luthero, præcipuum Sacerdotis munus consistere in prædicatione verbi Dei, male ex illo testimonio prioris epistolæ ad Corinthios colligeret Lutherus, omnes Christianos esse Sacerdotes: quia secundum Paulum non omnes sunt Propheta, neque omnes Doctores. Reliquum vero quod

quod Lutherus ait, Sacerdotes populi electione & vocatione fieri, aperte damnatum est in Concilio Laodiceno, cap. 13. suorum decretorum, ubi hæc verba habentur. Non est populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi. Hæc Concilium Laodicenum. In quibus verbis non solum Sacerdotes, sed nec alios altaris ministros permittit populi electione fieri. Contra primam hujus hæresis assertionem est canon decimus pronuntians, sessione septima Concilii Tridentini sub Paulo Terzio celebrati, cujus verba sunt, quæ sequuntur. Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis, habere potestatem, anathema sit. Hæc Concilium Tridentinum. Adversus hunc Lutheri errorem scripsit Joannes Eckius in libro de sacrificio Missæ in Enchiridio capite 7. & Jodocus Blicherhovius in suo Antiluthero. Joannes Mesingus scripsit de Ecclesiæ Christi Sacerdotio libros duos. Joannes Romberch Kirpensis fecit panegyricum de dignitate & officio Sacerdotii Evangelici.

Secunda de hac re hæresis docet omnes Sacerdotes esse pares, nullamque esse inter illos discrimen. Hujus hæresis auctor fuit Aerijs. Bandem postea suscitavit Vvaldenses, Marsilius Paduanus, Joannes Vvicleph. Sed de hoc errore jam supra in titulo de Episcopis disputavimus. Illo enim loco adversus hos eosdem hæreticos probavimus Episcopum esse simpliciter Sacerdote & dignitate & potestate superiorem.

Tertia hæresis asserit Sacerdotem amittere consecrandi potestatem si peccatum mortale commiserit. Hujus hæresis auctores (teste Guidone) fuerunt Vvaldenses, dicentes omnem hominem justum suæ factionis posse consecrari corpus Domini, etiam si laicus ille fuerit. Si autem peccatum mortale commisisset, dicebant illum perdidisse illam potestatem. Primam hujus hæresis particulam nunc in principio hujus tituli de Sacerdotio, expugnavimus. Ibi enim offendimus nullum hominem laicum posse sacerdotalia munera exercere. Alteram ejusdem hæresis particulam supra in titulo de potestate protravimus. Nam in illo loco convicimus nullam potestatem sive laicam sive Ecclesiasticam amitti per lethale crimen, ita ut sit Rex, aut Imperator, aut Episcopus, aut Papa, aut Sacerdos, in eodem statu & dignitate maneat, peccato quovis non obstante, nisi forte esset crimen hæreticos, propter quod, juxta aliquorum Catholicorum sententiam, amittitur dignitas illa aut potestas in cuius collatione non imprimatur character, cujusmodi est Regnum, aut Imperium, aut Papatu. Nec tamen per tale crimen hæreticos amittitur sacerdotalis potestas, quia character qui in Sacerdotii collatione imprimatur, indelebilis est: quapropter Sacerdos semel rite ordinatus qualemque postea committat crimen, semper erit Sacerdos.

Quarta hæresis reprehendit Sacerdotum coelibatam, dicens Sacerdotes non debere esse coelibes. Hujus hæresis auctor primus (quod sciam) est Lutherus, qui Ecclesiam irridet, eo quod cogat Sacerdotes abstinere ab uxoribus. Ut autem quod verbo docebat, opere confirmaret, monialem quamdam seduxit, & eam matrimonio sibi copulavit, & ex ea filios aliquot genuit, qui nunc juvenes sunt. Idem fecit Joannes Oeolampadius, qui monachus fuerat ordinis Sanctæ Brigittæ. Eidem errori adhæsit verbo & opere Volfangus Capito Argentinensis: Hujus uxorem, illo mortuo, accepit Martinus Butzerus, monachus & ipse ordinis Sancti Dominici. Et hoc idem fecerunt omnes qui Lutheranò nomine censentur. Et ideo Lutherum puro

primum hujus hæresis auctorem. Nam qui hunc errorem confundunt cum errore Joviniani, non recte mitti faciunt videntur, quoniam & si Jovinianus aquaverit nuptias virginitati, numquam tamen reprehendit eos qui volebant coelibes manere, nec reprehendit Sacerdotes carentes uxoribus, quoniam ipsemet Jovinianus (teste Augustino in libro de hæresibus, cap. 82.) carere voluit uxore non propter majus meritum in futura vita habendum, sed ut molestiis nuptiarum careret. Unde patet minime inter Lutherum & Jovinianum convenire de coelibatu Sacerdotum, quamquam de virginitatis merito inter eos conveniat. Adversus ergo solum Lutherum sunt nobis arma sumenda. Et primo ut clarius pateat Lutheri temeritas, qui non veretur Ecclesiæ matris suæ, in qua per baptismum genitus fuit, decreta & ordinationes floscipendere, ostendamus vetustissimam hujus rei in Ecclesiæ consuetudinem, eamque non levem, sed perpetuo decreto firmatam. Pro cuius rei intelligentia admonere oportet quod Sacerdotem esse conjugatum, duobus modis intelligi potest. Uno modo, ut si qui prius fuerat matrimonio alligatus, postea consecratur Sacerdos, in matrimonio eodem manens. Alio modo, ut prius Sacerdos, post susceptum sacerdotium uxorem ducat. Et certe inter hos duos modos latum est discrimen: quoniam in primitiva Ecclesiâ observatum est, ut qui uxorem duxerat, promoveretur ad sacerdotium, non tamen requirebatur ab eo qui promovendus erat, ut prius uxorem duxisset. Nam Joannes Evangelista virgo fuit, & beatus Paulus, juxta omnium sanctorum Doctorum sententiam, fuit etiam virgo: eos tamen constat fuisse Sacerdotes & Episcopos. Non erat ergo necessarium, ut uxorem duxisset qui consecrandus erat Sacerdos, quamvis id licuisset. Hæc ergo consuetudo juxta quam matrimonio alligatus promovebatur ad sacerdotium, invaluit usque ad tempora Nicæni Concilii, in quo (ut fertur) generali decreto statutum est ne aliquis uxorem habens, consecratur Sacerdos. Quod statutum cum ab aliquibus minime (ut decebat) observaretur, Siricius Papa, qui parum post prædictum Nicænum Concilium Ecclesiæ universali præfuit, de hac re illos acerbissime reprehendit. Decretum Nicæni Concilii cum non inveniatur, ideo hoc non est incertum. Multa enim illius Concilii decreta (teste Isidoro) per incuriam, aut forte Arrianorum malitiam perperita sunt. Verba Siricii Papæ subjungam, quoniam per illa satis aperte redarguitur perulentissima Lutheranorum libido. Is enim Pontifex Summus in quadam epistola ad Cumerium Taracensem Episcopum, cap. 7. ejusdem epistolæ, ita ait: Veniamus nunc ad sacratissimos ordines Clericorum quos in venerandæ religionis injuriam ita per vestras provincias calcatos atque confusos charitate tua insinuante reperimus, ut Hieremiæ cap. 9. nobis dicendum sit voce: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lachrymarum, & sibi populum hunc die ac nocte?* Et infra crimen illorum narrans, ait: Plurimos enim Sacerdotes Christi atque Levitas post longa consecrationis suæ tempora tam de conjugibus propriis quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præsumptione defendere, quia in veteri testamento Sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. Dicit mihi quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiiorum, si æstimat, quod in lege Moysi passim sacris ordinibus à Deo nostro laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos quibus committentur Sancta Sanctorum, præmonet dicens *Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus*

ves-

vesper? Cur etiam procul à suis domibus anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt Sacerdotes? Hæc videlicet ratio, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus expleto deservitionis suæ tempore, uxoris usus solius successione causa fuerat relaxatus, quia non ex alia nisi ex tribu Levi quicumque ad Dei ministerium fuerat præceptorum admitti. Unde & Dominus Jesus cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio prætestatur, quia legem venerit adimplere, non solvere: & ideo Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii cum rursus advenerit, sine macula & sine ruga eam possit (sicut per Apostolum instituitur *Ephes. 5.*) reperire. Quorum sanctionum Sacerdotes omnes aque Levitæ insolubili lege contringimur, ut à die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitia & corda nostra mancipemus & corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his que quotidie offerimus sacrificiis placeamus. Hucusque Siricius Papa: qui multa alia de hac re in eadem epistola differit. Nec tamen per illa verba videtur novum econdere decretum, ut nova lege Sacerdotes obliget ad coelibatam, sed potius eos esse alias obligatos declarat. Post hæc tempora non reperitur quod aliquis matrimonio alligatus impune fuerit institutus Sacerdos manente matrimonio usu. Cæterum quod consecratur Sacerdos post suam consecrationem ducat uxorem, numquam Ecclesia permisit, nec aliquando impune factum esse reperitur. Unde aperitissime vincitur effrænata Lutheranorum audacia, & petulans eorum libido, qui non verentur post sacerdotium receptum nova nuptiarum fœdera inire, cum hoc nunquam ustatum fuerit in Ecclesiâ, neque hujus rei vestigium aliquod reperire possint, immo multis Conciliorum decretis cautum est, ne quid simile fiat. Nam 27. Canon Apostolorum sic ait: In nuptiis autem qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus ut si voluerint uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo. Hæc ibi. Ex quibus verbis aperitissime vincitur ab ipsis Ecclesiæ primordiis non licuisse Diaconis aut Presbyteris post susceptos sacros ordines ducere uxores. Concilium Neocæsariense, capite primo suorum decretorum per hæc verba definit: Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere statuimus. Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici, & ad penitentiam inter laicos redigi oportet. Hæc Concilium Neocæsariense. Et quod maxime hanc sententiam confirmat, est, quod Græci, quibus mos est conjugatos ad sacerdotium promovere, nunquam permiserunt aliquem post susceptum sacerdotium ducere uxorem. Pro cuius rei probatione duos proferam testes. Innocentius Papa hujus nominis tertius, in capitulo, Cum olim, titulo de Clericis conjugatis talia verba refert: Orientalis Ecclesiæ votum continentia non admittit, quoniam orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto. Hæc ibi. In quibus verbis id est advertendum quod ait, orientales in superioribus ordinibus uti matrimonio jam contracto. Unde convincimus illos post susceptos ordines sacros non contrahere matrimonia, quoniam juxta vulgatum iuristarum regulam casus exceptus firmat regulam in contrarium. Et Gratianus in volumine decretorum distinctione 28. cap. de Syracusanæ, prope finem capituli idem refert expressius, dicens: Orientalis Ecclesiæ non suscepit votum castitatis. Hoc tamen indefinente observatione custodit, ut post adeptum sacer-

dotium, defuncta priori uxore, cum qua Sacerdos factus fuerat, si alteram duxerit, deponatur. Hæc Gratianus. Ex quibus vincitur Lutheranos peiores esse Græcis schismaticis, & Ecclesiæ rebellibus, quia Lutherani & si cum sacris fuerint initiati, continentia votum emiserunt, non verentur tamen post susceptum sacerdotium uxores ducere. At Græcis hæc fuit perpetua religio, ut nunquam fuerint ausi aliquid simile attentare. Ex his ergo omnibus colligere oportet hæc duo. Unum est, quod ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis nunquam licuit alicui post susceptum sacerdotium uxorem ducere. Alterum est, quod & si aliquando licuit matrimonio ligatum promovet ad sacerdotium, jam modo non licet, quoniam decretum est, ut nullus ad sacros ordines suscipiatur nisi prius continentiam voverit. Nam Gratianus in distinctione illa 28. capite, Ecce ostensum est, citat beati Gregorii decretum, sic dicens: „ Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit: quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. “ Hæc Gregorius. Neque hoc decretum Ecclesiæ leviter & sine causa instituit, immo multis urgentibus causis ita fervidam esse decrevit. Nam in lege veteri nullus carnes agni qui in figura corporis & sanguinis Christi immolatus est, comedere permittebatur, nisi renes accinctos haberet. (*Exod. 12.*) Per illam autem renem cincturam designabatur libidinis refrænatio, quoniam Dominus in Evangelio castitatem commendans, hoc usus est elogio. *Sint lumbi* (inquit *Luc. 12.*) *vestri præcincti.* Et in primo Regum libro cap. 21.) legitur quod cum venisset David ad Achimelech Sacerdotem, non prius panes sanctificatos, etiam fame urgente, recepit, quam se suosque mundos à mulieribus testaretur, & hoc non solum ab alienis aut concubinis, sed etiam ab uxoribus propriis. Ita enim sentit beatus Hieronymus in commentariis super epistolam ad Titum. Ex quo facto Sacerdotis Achimelech, idem beatus Pater colligit oportere multo magis eum qui sacrum Domini corpus sit suscepturus, esse castum & pudicum: quoniam (ut ille ait) tantum interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur. Præterea beatus Paulus in priorè ad Corinthios epistola cap. 7. admonet matrimonii vinculo ligatos, ut non fraudent se invicem officio conjugii, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi. Per quæ verba satis aperte innuit oportere eos qui orationi vacant, abstinere ab officio conjugii. Cum ergo ad Sacerdotes novæ legis pertineat quotidie pro se & populo Deum orare, convincitur aperte, juxta Pauli sententiam, ut quotidie ab officio conjugii abstineant. Et certe ex hoc Pauli loco colligunt Ambrosius & Hieronymus, oportere Sacerdotes esse adeo castos, ut ab omni coitu abstineant. Nam beatus Ambrosius in expositione prioris epistolæ beati Pauli ad Timotheum, sic ait: „ Si „ plebis hominibus orationis causa ad tempus se abstinere „ præcipit Paulus, (*1. Tim. 3.*) ut vacent orationi: quantum magis Levitis ac Sacerdotibus, quos die nocteque „ pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo „ debent esse cæteris, quia actores Dei sunt. “ Hæc Ambrosius. Et beatus Hieronymus in commentariis super epistolam ad Titum, eandem facit collectionem, sic dicens: „ Si laicis imperatur ut propter orationem abstinere se ab uxorum coitu, quid de ipsis sentiendum est „ qui

qui quotidie pro suis populique peccatis illibat Deo oblaturus est victimas? Hee Hieronymus. Ecce jam vides, quot sint causæ urgentes ad statuendum decretum de Sacerdotum cœlibatu. Magna est ergo Lutheranorum temeritas, qui adversus tot patrum sententias, contra tot Conciliorum decreta, non venerat post votum continentie, quod in sacrorum ordinum susceptione emiserunt, matrimonium contrahere, aliique ut similiter faciant persuadere.

Sed opus est ut respondeamus his quæ nobis obijciunt Lutheranis. Dicunt enim oportere castitatem, sicut omne aliud opus bonum, esse liberam & non coactam: quia non placent Deo coacta servitia. At Ecclesia (ut illi ajunt) cogit Sacerdotes ad castitatem: non facit ergo bene illos cogendo. Respondeo, Ecclesia neminem cogit ad castitatem, sed ipsemet qui consecratur Sacerdos seipsum obligat ad castitatis observationem. Ecclesia autem neminem cogit ad Sacerdotii susceptionem. Si Ecclesia cogere absolute, & sine ulla conditione aliquem ad sacerdotium, justam ille haberet querimoniam occasionem. Cum autem neminem illa cogat sacerdotium suscipere, non est quod ob hanc causam, quis Ecclesiam de tyrannide arguat. Si non tibi placet cœlebs sacerdotium, abstine à sacerdotio, & noli fieri Sacerdos, quod nostri hujusmodi conditionem sacerdotium annexam habere. Sed volo (inquit Lutheranus quisque) Sacerdos esse & uxorem ducere. Respondeo, hoc non esse electionis tue, aut tui arbitrii, sed solius Ecclesie quæ quos voluerit potest ad sacerdotium promovere, si dignos illos invenierit, & à sacerdotio repellere quos noverit indignos. Non facit seipsum homo Sacerdotem, sed Ecclesia illum per prælatos Episcopos instituit Sacerdotem. Ecclesia autem non vult aliquem ad sacerdotium recipere, nisi ille velit cœlibem vitam perpetuo agere, & cætera habeat quæ ad bonum Sacerdotem exiguntur. Si placet conditio, oportet ut promissum serves. Si vero ante susceptum ordinem sacrum, hæc non placet conditio, aliud tibi placens vitæ institutum elige, & noli ordines sacros, quibus est castitas annexa, recipere. Secundo obijciunt illud Pauli: (1. Cor. 17.) *Melius est nubere, quam uri.* Cum ergo (ut dicunt) omnes à concupiscentia urantur, bonum erit nubere, ut per nuptias talis carnis adusio tollatur. Respondeo: non omnis qui à carne tentatur, uritur, sed solum ille qui à carne superatur, alioqui Paulus ipse quum carnis stimulum patiebatur, adusio fuisse dicitur. Qui à carne vincitur, is aduritur. Et de his qui voto alligati non sunt, sed liberam habent sui potestatem, Paulus loquens, dicit quod *melius est nubere, quam uri*, id est à carne superari. Tertio obijciunt, difficultimum esse & impossibilem castitatem perpetuo servare, præsertim aliquibus qui vehementer à carne impelluntur, & ardentissimos patiuntur carnis ardores. Propter quod Salvator de his, qui se propter regnum caelorum castraverunt, loquens, dixit: (Matth. 19.) *Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat.* Respondeo difficilem certe rem esse castitatem, sed esse difficilem homini sibi ipsi & suis solis viribus relicto: non est autem difficile illi qui à Dei gratia adjuvatur. Omnia (inquit Paulus (Philip. 3.) *possum in eo qui me confortat.* Hanc autem gratiam nemini facienti quod in se est, Deus negat: sed omni petenti tribuit. *Fidelis est Deus* (inquit Paulus (1. Cor. 10.) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione proventum.* Et ipse Salvator ait: (Mar. 13.) *Quicumque orantes petitis, accipietis.* Si ergo Lutheranus se

adeo stimulatum acare sentit, ut resistere non possit, petat adjuvatum à Deo, qui se ipsum negare numquam fecit facienti, quod potest. *Si quis indigni sapientia* (inquit Jacobus) *posset illam à Deo qui dat omnibus affluenter. Faciat igitur Lutheranus, quod Sapiens de seipso ait: (Sap. 8.) Et ut serui* (inquit ille) *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia scire, cujus esset hoc donum, adiu Dominum & deprecatus sum illum.* Sed Joannes Calvinus est fatetur bonum esse, ut à Deo adjuvatum petamus ad continentium, tamen dicit hanc divini auxilii invocationem, non esse sufficiens remedium pro continentia servanda: & tunc necessarium dicit esse conjugium. Nam in suo illo opere de institutione Christianæ religionis, capite 4. 18. Monachos, propter votum castitatis reprehendens, hæc ait: *Virginitatem Deo perpetuum promittunt, quasi cum Deo ante pepigerint, ut se à conjugii necessitate liberarent. Non est quod cautescentur, se non, nisi Dei gratia fretos, votum hoc nuncupare. Nam cum ipse non omnibus dari pronuntiet, fiduciam specialis doni capere, nostrum non est. Qui habent, eo utantur: si quando ea carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad ejus opem, cujus sola virtute possunt resistere. Si non perficiant, nec remedium quod ipsis offertur, contemnant. Certa enim Dei voce citantur ad conjugium, quibus continendi facultas denegatur. Hæc Calvinus. In quibus verbis multa sunt que ab eoque reprehensionem, & redargutionem præterire non licet, & ideo ea omnia singulatim examinare & corrigere oportet. Primo quidem irridet eos qui castitatem vovent, propterea quod hæc ratione, ostendunt se cum Deo pepigisse, ut eos à conjugii necessitate liberet. Injuste quidem illos ob hanc causam subannat. Nam ille paterfamilias, qui Dei figuram gerit conventionem factam cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. (Matth. 20.) Si Deus pro vitæ æterna, ut omnes sancti Doctores illam vineæ parabolam interpretantur, nobiscum conventionem fecit: imperio subannat Calvinus, propterea quod illi qui castitatem Deo promiserunt, dicant se cum Deo pepigisse, ut illos in castitate conservet. Nam sicut Deus promisit vitam æternam servanti mandata sua: ita promisit opem & auxilium suum omni invocanti illum, & ad suum auxilium confugienti. Sed ne Calvinus dicat, figmentum nostrum esse, & novum dogma, quo dicimus Deum pactis nobiscum in hac re agere, audiat quid dicat Clemens Alexandrinus libro tertio stromatum parum post initium libri. Est ergo continentia, inquit ille, corporis disciplinæ, convenienter pactis conventis cum Deo initis. Hæc Clemens Alexandrinus, quem tamquam recentem, aut recentenarium non poterit rejicere Calvinus: quia ante mille & trecentos annos obiit. Si forte obijcit Calvinus, quod non semper Deus pactum hoc servat, quia multi sunt qui votum castitatis non servant. Fateor multos esse tales: hic tamen non deficit Deus in custodia pacris, sed deficient ipsi, qui non faciunt quod possunt, neque Dei opem & favorem, ut oportebat, implorant. Dixit deinde Calvinus, quod non debemus capere fiduciam specialis doni castitatis, quia Deus non omnibus dari pronuntiat. Et certe si hæc sententia quicquam valeret, ex ea colligeretur, numquam esse capiendam fiduciam in Deo ad faciendum aliquid virtutis opus, videlicet credere, sperare, Deum & proximum diligere, mandatis Dei obtemperare, à peccatis resistere, aut quodvis aliud bonum opus agere. Nam omne tale etiam est donum Dei, nec istud nisi Deo operante fieri possumus.*

mus. Et hoc ipse Calvinus in multis locis, præsertim in libello contra acta Concilii Tridentini facitur: quia *Deus esse, ut Paulus ait (Philip. 2.) qui operatur in nobis velle & perficere.* Cum igitur certum sit, non omnes illa virtutum opera habere, & per consequens non omnibus à Deo dari: oporteret juxta Calvinum doctrinam, numquam aliquis doni fiduciam à Deo habere, propterea quod ille non omnibus dare pronuntiat. Non enim omnes conjugati abstinere ab adulterio, neque omnes abstinere à furto, neque omnes abstinere ab ebrietate: & tamen ad istorum quodlibet, non minus esse necessarium auxilium Dei, quam ad continentiam, immo aliquando magis: quia sunt magis proni & proclives ad ebrietatem, aut ad furtum, quam ad libidinem, semper tamen fidendum est in Deo, & numquam de illo desperandum in opere cujuscumque virtutis: quia est ille non omnibus dare pronuntiet, nescimus tamen an nos simus illi, quibus Deus virtutem illam dare decrevit. Et ideo debemus fatagere, juxta beati Petri doctrinam, (2. 1.) ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus. Et hanc fiduciam esse in Deo habendam, docet Paulus in priore ad Timotheum, (cap. 3.) hæc dicens: *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam in se, quæ est in Christo Jesu.* Quæ verba interpretans Ambrosius in Commentariis super Paulum, ait: *Qui si filios bene gubernaverint, & domos suas, id est, vernaculos aut domesticos, poterunt digni fieri sacerdotio, & fiduciam habere apud Deum, ut sciatis se posse impetrare quod postulant, jam de cætero ab usu feminæ cohibentes.* Hæc Ambrosius. Sed multo fortius & clarius est testimonium, quod pro hac fiducia reddit Joannes in sua priore epistola, (cap. 3.) sic dicens: *Et hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Dixit insuper Calvinus in verbis illis proxime citatis, eos qui sentiunt se à carne sua inquietari, confugere debere ad opem Dei: & si non impetrant, oportere illos accipere conjugii remedium, quia dicit illos certa Dei voce vocari ad conjugium, quibus continendi facultas denegatur. Hæc sententia est omnibus aliis pejor, quia magis impia, & Deo nimium injuriosa. Ut autem hoc manifestum omnibus faciam, petere volo à Calvino, an illi quibus dicit Deum negasse facultatem continendi, fecerunt quidquid ex se poterant ad continentiam servandam, & sic oraverunt Deum, ut oportebat, cum fervore & confidentia, an forte nihil horum fecerunt. Si illi fecerunt quod ad illos attinebat pro continentia servanda, & postea Dei favorem & auxilium, cum fervore & fiducia imploraverunt, certissimum est, & fide Catholica tenendum, Deum hujusmodi petenti non defuturum. Quisquis autem dixerit, quod huic sic petenti continendi facultatem, Deus aliquando denegabit, maximam irogat Deo injuriam: quia dicit illum infidelem, & promissa minime servantem. Deus enim nulli volenti continere, aut quodvis aliud bonum agere, denegat favorem & auxilium suum. Vulgatum siquidem est illud Augustini, Deus recipit confugientes ad se, aliter in eo esset iniquitas. Nam ille per Regium Prophetam (Psalm. 90.) hoc promisit, dicens: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Et ipsemet sine ulla exceptione omnibus promittit subventionem, quum dicit: (Matth. 11.) *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Negari non potest, quod tentatio carnis sit grave onus ipsi animæ, juxta illud sapientis: (Sap. 9.) *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Qui hoc onus portant, magno labore fatigantur. Omnes ergo istos sicut & alios quoslibet laborantes, & oneratos Deus ad se vocat, & illis promittit refectionem, hoc est, concessionem eorum quæ esuriunt & juse sistant. Et iterum alibi, (Joann. 16.) idem Salvator patris sui benignitatem & favorem promittit, dicens: *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Et hic etiam universaliter sine ulla exceptione locutus est, non particulariter hoc, aut illud promittens, sed quicquid petitur fuisset. His & aliis hujusmodi promissionibus semper juxta ad faciendum locutus est, quod promissis. Nam propter hanc causam dicit Paulus, (Heb. 10.) nos tenere spei nostræ confessionem indeclinabilem, quia fidelis est qui repromittit. Si illos quibus Deus denegat continendi facultatem, Calvinus dicit non fecisse, quod poterant pro continentia servanda, nec Deum pro illa ardentem & fiducialiter orasse, tunc ipforum erit culpa, quia non fecerunt quod poterunt. *Petit & non accipitis* (inquit Jacobus (cap. 4.) *eo quod male petatis.* Culpa ergo est Sacerdotum, qui dicunt, se non posse continere: quia si bene Deum orassent, impetrassent illius favorem & auxilium. Nam, ut Propheta ait, (Psalm. 144.) *prope est Dominus omnibus invocantibus eum: invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos.* Quæ verba interpretans Hieronymus, ait: *Deum eos eruit, vel ab insigatione diaboli, vel ab ardore peccati. Hæc ille.* Sed illud annotare oportet, quod Propheta addidit, invocantibus eum in veritate. Nam sunt aliqui, qui non in veritate, sed in mendacio petunt: ut sunt illi qui tepide petunt, quia nolent sibi dari quod petunt, & dolerent postea si petita concederentur. Istis Deus non est prope, quum invocant illum, nec eorum preces exaudit, nec salvos facit eos ab insigatione diaboli, nec ab ardore peccati. Talem ego existimo esse Calvinum, & reliquos Lutheranos Sacerdotes, qui post sacerdotium acceptum uxores duxerunt, dicentes se continere non posse. Fateor illos continere non posse: quia nihil ad continentiam servandam necessarium, faciunt. Nam horrent jejunia, nullam ciborum abstinenciam habent, sunt gulones & carnum voratores: vino se inebriant, & reliqua omnia continentie inimica alexantur. *Nolite* (inquit Paulus (Ephes. 5.) *inebriari vino, in quo est luxuria.* Et Hieronymus ait. *Venter mero æstuans facile desumpit in libidinem.* Et Isidorus dicit. *Ciborum fomentis, libidinis ignis increscit: corpus autem quod abstinentia atterit, tentatio non exurit.* Hæc ille. Calvinus autem & ceteri Lutheranis Sacerdotes, quia libidinem appetunt, & continere nolunt, ideo nolunt etiam abstinere ab iis, quæ ad libidinem provocant: & postea dicunt se non posse continere. Quia in re similes mihi videntur famulo, qui stupra ad custodiam, sibi à Domino suo commissam, igni proximum faceret, & postea diceret se non posse ab igne illam servare, sed hunc merito Dominus puniret, propterea quod illum ad ignem approximavit. Ut autem Calvinus & ceteri Lutheranis Sacerdotes intelligant, suam esse culpam, quia non continent: & falsam esse excusationem qua dicunt, Deum hoc continentie donum illis denegasse, volo contra eos producere nobilissimos quatuor testes, & omni exceptione majores. Hieronymus in Commentariis super Mattheum, interpretans illa Salvatoris verba: (Matth. 19.) *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est,*

Yyyy hæc

hæc ait. „Nemo putet sub hoc verbo vel fatum, vel fortunam introduci, quod hi sunt virgines, quibus a Deo datum sit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit: sed his datum est qui perierunt, qui voluerunt, ut que acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, & querens inveniet, & pulsanti aperietur. Et postea super illa verba. *Qui potest capere, capiat.* Hæc ait. Quasi hortantis vox Domini est, & milites suos ad pudicitiam premium concitantis. *Qui potest capere, capiat: qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet.* Hæc Hieronymus. Chrysostomus homilia 63. super Mattheum interpretans illa verba Salvatoris, quibus de iis qui se propter regnum cælorum castraverunt dixit: „*Qui potest capere, capiat.* Hæc ait. Ita magis animat atque incendit, vel quia magnitudinem virtutis ostendit, vel quia inestimabili misericordia sua. noluit rem in necessitatem legis concludere. Et ad hæc, possibile id esse demonstrat, ut eligendi cupiditas crescere possit. Sed si electionis opus est id, inquiet, quomodo incipiens, statim dixit: *Non omnes capiunt, sed quibus datum est?* Ut singulare id esse certamen perdiscas, ut non forte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est, qui sponte id eligunt: quod ideo dixit, ut ostenderet superiore nobis auxilio esse opus, quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores evadere. Hæc Chrysostomus. Quibus verbis nihil potuit aptius contra Calvinum dici. Et Theophylactus eadem Salvatoris verba interpretans, ait: „Postquam dixerunt Apostoli, melius esse non venire ad nuptias, dicit Dominus magnam esse virginitatis possessionem: at eam non ab omnibus recte servari, sed ab his duntaxat, quorum cooperatores Deus est. Nam hoc loco datum esse, valet, quibus cooperatur Deus. Illis autem datum est, qui petunt. Petite enim, inquit, & dabitur. Omnis enim, inquit, qui petit accipit. Hæc Theophylactus idem quod Chrysostomus docens. Et ante hos tres eodem modo interpretatus est illa Salvatoris verba Origenes, qui homilia septima super Mattheum, hæc ait: „Quoniam autem, tem quidam calumniantur, quod Christus ait: quibus datum est, quasi exultationem habentes, & volentes quidem esse in castitate, non autem prævalentes. Quibus est respondendum, siquidem accipimus simpliciter quod dictum est, sed quibus datum est. Non autem attendimus, quod alibi dicit. *Petite & dabitur vobis: Et omnis qui petit accipit,* aut fideles non sumus, aut scientes scripturas. Qui enim vult capax esse verbi, quod de castitate positum est, petat credens dicenti, & accipiet: non dubitans de illo quod dictum est: *Omnis qui petit accipit.* (Mar. 11.) Quis ergo est qui petit, qui credit Christo dicenti. Si steteritis orantes, credite, quia accipietis. Debet enim qui petit, omnia facere quantum ad se, ut oret spiritu, oret & mente, memor Apostolici verbi quod ait: (2. Thess. 5.) *Sine intermissione orantes.* Hæc Origenes. Ex quibus verbis constat fuisse olim tempore suo, qui eandem excusationem violatæ continentiae dabant, quam nunc Lutherani Sacerdotes, reddunt: sed illos Origenes dicit esse, aut infideles, aut nescientes scripturas. Videant ergo Lutherani & eligant, cui censuræ se velint subdere: an infideles se dici malint, an ignaros scripturarum: quoniam in eorum alterum oportet eos incidere, juxta Origenis censuram. His quatuor fidelissimis testimoniis, volo conjungere quintum illis omnibus vetustiorum, Tertullianum scilicet, qui in libro de monogamia, hæc ait: „Eunuchi Evangelicæ ne tantum ignominia caruerunt,

sed & gratiam meruerunt, invitati ad regna cælorum, abolita lege succedendi in matrimonium fratris, atque ait. *Qui potest capere, capiat:* id est, qui non potest dicitur, cedat. Elige quod bonum est. Si non potes, quia non vis (posse enim te si velis ostendit, quia utrumque tuo arbitrio propositum) discedas ab eo oportet, cujus non facis voluntatem. Hæc Tertullianus. Ex his quinque testimoniis fide dignis convincitur hominem posse continere, si velit & faciat ea quæ ad continentiam sunt necessaria: quoniam facienti quod potest, semper Deus paratus est subvenire. Sed his testimoniis omisis, ut apertius Calvinum & reliquos Lutheranos convincam, peto ab illis qui jam uxores duxerunt, quid facerent si illorum uxores perpetua ægritudine sic laborarent, ut illis nequaquam copulari possent: aut quodvis aliud impedimentum occurreret, propter quod illarum commercio perpetuo privarentur. Numquid aliam capient uxorem, ut appetitui carnis obtemperet? Sed hoc non licere, apertissime constat, quia duas simul habere uxores, est lege divina prohibitum, prout supra probavimus in titulo de Nuptiis, hæretici quarta. Neque licebit alicui alteri femine copulari, quia id est apertius adulterium: quia prima, neque propter perpetuum morbum, neque propter perpetuam absentiam desit esse uxor. Illa ergo vivente non poterit maritus illius, citra adulteri crimen alteri mulieri adherere. Quid igitur faceret in eo casu Calvinus, & quisvis alius Sacerdos Lutheranus? Certe necessarium est illi continere, nisi Deum offendere malit. Quod igitur faceret tunc pro continentia servanda, hoc faciat nunc antequam uxorem ducat, & non dicat, se non posse continentiam servare.

Quarto nobis objiciunt illud Pauli, ex priori ad Corinthios epistola: (cap. 7.) *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem faciat.* Quæ verba Lutherani in hunc sensum interpretantur, ut Paulus senserit liberum esse, cuiilibet ducere uxorem, quando à carne sua fuerit nimium sollicitus ad venerem. Sed fallunt re vera Lutherani in intellectu istorum verborum, aut falli se fingunt, ut saltem horum colore verborum suam libidinem adambrent. Non enim est verisimile, ut Paulus nuptias præcipiat, qui post pauca verba in eadem epistola, & in eodem capite, sæpe dedit consilium de non nubendo, & sæpe hortatus est ad illud. *De virginibus autem* (inquit ille *Idem.*) *præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et iterum. *Solutus es ab uxore, noli querere uxorem.* Et rursum: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Et post pauca subdit sic colligens. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Hæc autem omnia contradicentia verba à Lutheranis citant, si ut illi dicunt, Paulus per illa, aut præciperet, aut consulere iis qui matrimonio juncti non sunt, ut matrimonium contraherent. De illis ergo in illis verbis loquitur Paulus, qui jam uxores habebant, de quibus, quoniam gentiles erant, dubium erat apud illos, an ad Christianissimum conversi, deberent necessario illas relinquere, aut ab illarum commercio abstinere: & de hac re ipsum Paulum interrogaverunt Corinthii. Illis ergo Paulus respondens, ait. *De quibus autem scripsi vobis: Bonum est homini uxorem non tangere. Propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem habeat, & una quæque suum virum.* Et consequenter declarat obligationem, quam conjuges habent ad debitum sibi invicem reddendum. Et deinceps ex occasione oblata differit de virginibus, cujus statum matrimonio præfert, est utrumque

bonum esse censet. Denique ad conjugatos de quibus loqui cœperat, rediens, indissolubilem illorum conjunctionem iterum repetit, sic dicens: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Ex toto itaque illius litteræ decursu colligitur aperte, Paulum in illis verbis quæ pro se citant Lutherani, nihil profusus in illorum favorem dicere, quoniam de conjugatis illis loquitur, & non de iis qui nullo matrimonii vinculo tenentur. De illis ergo dicit: *Bonum est uxorem non tangere*, id est, commodum & utile est viro abstinere à commercio uxoris & copula cum carne illius, si ex consensu illius fiat. Nam si illa viro suo uti velle, obligaretur illi, ut statim Paulus docet, uxori debitum reddere. Sed ne ex hac abstinentia uxoris per Apostolum commendata, occasione adulterii fumerent, statim occasionem istam sustulit, sic dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Non dixit accipiat, sed habeat, id est retineat, & illa utatur. Dicens etiam suam, manifeste ostendit se de retentione & usu illius, quæ jam erat sua, loqui: & non de illa quæ ducenda erat, & adhuc non erat sua. Ut autem hunc esse verum & germanum verborum Pauli sensum manifeste convincam, aliquot illustres viros sanctitate perinde ac doctrina clarissimos in hujus rei testimonium proferam, quorum cuiilibet justius adhibenda erit fides, quam omnibus Lutheranis simul. Ambrosius in Commentariis super Paulum prædicta verba interpretans, ait: „Pravis sensibus pseudopostolorum exagitati, qui nuptias per hypocrisim, ut puriores ceteris viderentur, sperendas docebant, hæc per epistolam ab Apostolo requirebant. Quia enim non oblectabantur hac sententia, prætermisit, ceteris hoc solum requirunt. Quibus tamen respondit, bonam esse quidem uxorem non contingere, quam non illi titulus simpliciter asserant. Tamen propter fornicationem, hoc est, ne quid contra legem admittatur, cum quando quod lex non prohibet, vetatur, unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Solent enim qui compendium quærunt, errare. Qui enim fieri posset, ut hi ab uxoribus se abstinerent, quos in tantis viriis reperit? Ideo ergo non permittit, ne à licitis se abstinere, inaccessa præsumant, sicut faciunt Manichæi. Hæc Ambrosius. Huc per omnia consentit Hieronymus, qui libro primo adversus Jovinianum, hæc ait: „Paulus inquit, 1. Cor. 7. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat.* Non ait, ducat uxorem; sed habeat, id est, prius ducta, antea fidem uratur, cum ea coeat, remque habeat. Omnis hæc quæstio de his est, qui in matrimonio sunt deprehensi, an eis liceat uxores dimittere, quod & Dominus in Evangelio prohibuit, unde & Apostolus ait: *Bonum est homini uxorem non tangere.* Sed quia qui se mel duxit uxorem, non valet, nisi ex consensu se abstinerere, nec dare libellum repudii non peccanti, reddat conjugi debitum: sponte quippe se alligavit, ut reddere cogatur. Hæc Hieronymus, qui non potuit apertius contra Lutheranos loqui. Huic sententiæ etiam favet Chrysostomus, qui homilia nona super priorem epistolam ad Corinthios, hæc ait: „Quare, inquit Paulus, de quibus scripsi vobis. Etenim nonnulli scripserunt, oportet ne ab uxore abstinere, an non? Quos litteris suis Paulus admonens, in virginitatis sermonem devenit. Inquit enim: *Bonum est homini uxorem non tangere.* Si bonum, inquit, & quod longe præstat, inquit, quis melius omnino est, cum muliere non conversari. Sin autem verisimile esset, quod in præsentia con-

tingit, virum quidem velle, scilicet continere vive, re, mulierem autem minime, vel è contrario. Animadvertite quo pacto de utroque disputet. Uxori vir debet, tum reddat honorem, similiter & uxor viro. Hæc Chrysostomus. Huic subscribit Oecumenus, qui prædicta Pauli verba interpretans, hæc ait: Scripserunt Corinthii Paulo, utrum oporteret ab uxore abstinere, an non. Pulchrum est, inquit Paulus, & eximium, mulierem omnino non tangere, quod autem fecerunt est, & in auxilium nostræ datum imbecillitati, vir legitima utatur uxore, & uxor legitimo utatur viro. Hæc Oecumenus. Nolo pro hac sententia plures testes adducere, ne prolixior sim: præsertim cum isti quatuor satis esse possint homini non profusus obsequio. Si quis tamen plures videre voluerit, indice illos ostendam. Augustinus in epistola 199. quæ est ad Eudociam. Fulgentius, epistola secunda, in qua agit de statu conjugali: & in epistola tertia, ubi agit de conjugali debito. Theophylactus, in Commentariis super Paulum. Haymo, super epistolas Pauli prædicta verba interpretans. Anselmus in eodem loco eadem fere verba dicit quæ Ambrosius. Justus ergo erit his illustribus viris, quorum doctrina fulget Ecclesia, credere, quam bis mille Lutherani, Epicuri, & Veneris discipulis.

Quinto nobis objiciunt illud Pauli: *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Ex quibus verbis colligunt Lutherani, non solum licitum, sed & necessarium esse, ut Episcopus & Sacerdos unam habeat uxorem, ne forte alienas capiat, dum propria caret. Si hæc dicerentur à Lutheranis idiotis, non miraretur: sed cum hæc dicantur ab iis, qui se doctissimos esse jactant, & pro doctissimis haberi cupiant, non possum non mirari, quod adeo delirant, ut hæc dicere non erubescant. Aur ergo malitia eorum excæcavit eos: aut ita se Paulum intelligere fingunt, ut populo, cui potissimum placere cupiunt, persuadeant, se non absque ratione & auctoritate uxores duxisse. Paulus enim in illis verbis non exigit matrimonium in eo qui ad Episcopatum assumendus est, ut tamquam indignus Sacerdotio habeatur, qui liber ab uxoris vinculo vivere voluerit: sed per illa verba bigamum à Sacerdotio relegavit, ita ut Sacerdotio fungi non possit, qui bigamus fuerit. Nam alias, qui fieri poterat ut à Sacerdotio matrimonium tamquam rem necessariam exigeret Paulus, qui alibi (1. Cor. 7.) virginitatem commendat, illam matrimonio præferens, & omnes ad illam hortans? Non enim est vero simile, ut excellere virtute prædium velit esse populum, quam Episcopum. Et ideo omnes sacri Doctores ab Ecclesia recepti, qui de hac re differuerunt: ita illa verba Pauli interpretati sunt, sicut nos modo declaravimus. Ex illis ergo aliquot in testimonium proferam, ut illorum testimoniis convincam Lutheranos longissime à Pauli sententia abesse. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, hæc ait: „Non dicit Paulus, eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat: sed qui unam habuerit, & filios in omni disciplina subditos. Alioquin si Episcopi esse non debeant, nisi mariti, ipse Apostolus Episcopus esse non debeat, qui dixit: (1. Cor. 7.) *Volo omnes homines esse, sicut ego sum.* Item, tunc Joannes Evangelista Episcopus non fuisset, ut qui virgo manserit. Ergo oportet esse unius uxoris virum, id est, qui unam habuerit, non habeat. Et in epistola ad Oceanum ait: In utraque Pauli epistola, nempe ad Timotheum & ad Titum, sive Episcopi, sive Presbyteri jubentur monogami in Clerum eligi. Hæc Hieronymus. Huic sententiæ favet Tertullianus, qui in libro de Exhortatione ad castitatem, ait:

